

nostræ prelium, Dominum nostrum Jesum Christum, innocentissimum agnum, omni auro et argento pretiosorem suis videt in manibus constitutum, ut gaudium habeat plenum et integrum ex sanguine Christi replet solatium, convocat amicas, animas in Purgatorio detentas, tanquam vicinas, ut congaudeant, dum eas illius sacratissime carnis et sanguinis, in Eucharistia reddit participes; prestantissimum enim lytrum ad animas liberandas Eucharistia est.

## VERSUS 10.

*Ita dico: Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore penitentiam agente.*

*Gaudium erit coram Angelis Dei.*

1. — S. Bonaventura, in *Luc.*, hujus jubili in Angelis Dei hæc motiva esse dicit: « Quia destruitur culpa, restituitur justitia, confutatur damnum » superbia, efficax efficitur Angelorum custodia, » reparatur Ecclesia, placatur ira divina et restauratur Jerusalem superna. »

2. — Lucas Brugensis quoque multos considerat esse posse stimulos, quibus curia cœlestis ad gaudendum, propter penitentiam nostram, permoveri possit: « Quare cœlestes gaudent de peccatore converso? An quia ipsi erga homines benigni sunt? Quod ait Euthymius: An quia peccator qui fuerat, » ipsis similis redditur, justus ac sanctus? Vel quia » numerus ipsorum restauratur? An quia dilatatur » Dei gloria ac regnum? » et quidem tametsi omnia hæc motiva ipsos ad gaudendum de conversione nostra extimulare posse concedat, attamen aliud quoddam motivum adducit in medium, quod opinione præ cæteris est maxime præcipuum: « Hæc » omnia vera sunt, » inquit, « sed quæ hæc potissimum spectat, ratio est, quia sciunt peccatoris » conversionem, rem esse Deo gratissimam, qui » omnes homines tenere diligit, tanquam oves » pascuæ suæ, nec quempiam eorum perire velit. »

3. — S. Thomas in quodam sermone, qui in ordine primus est in hæc Dominicam, tres allegat causas hujus gaudii in Angelis. « Primo, propter » sui ministerii impletionem; sunt enim ministri

» ut moneant nos ad penitentiam: *Hebr.*, 1, 14. In » ministerium missi propter eos, qui hæreditatem » capiunt salutis; secundo, propter demonum confusionem; tertio, propter Dei honorem. »

4. — S. Bonaventura, *Serm.* iv in hæc Dominicam, Angelos gaudere dicit: « Propter benevolentiam et charitatis laetitudinem; laetudo enim » charitatis facit, quod tantum gaudeat Angelus de » bono proximi, quantum de proprio, quia superna » civitas non coangustatur multitudine desiderantium, quia nulli diminuitur de suo proprio premio; propter multitudinem presidentium, imo » inde cuilibet sua gloria crescit, » quia ut S. Augustinus, *lib. de spir. et anim.*, affirmat, » tantum unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo ineffabili gaudio, et quot » socios habebit, tot gaudia habebit; » adeoque in communi cœli emolumentum cedit, quod augetur multitudo beatorum.

5. — Proprium nostrum interesse et commodum nos movere debet, ut nos Angelis exhibeamus obediētes et obsequiosos, quia hoc faciendo, operamur bonum nostrum. « Angeli quia rationales, » inquit Glossa, » gaudent de reconciliato sibi homine, quod intendit nos ad probitatem ut agamus » quod illis gratum sit, quorum et affectare patrociniū et offensam timere debemus. »

6. — Hugo in eundem textum sequens valde stringens facit argumentum, dicit enim: « Sed si » Angeli ita gaudent de conversione unius peccatoris, quanto magis nos gaudere debemus, qui » homines et peccatores sumus. »

*Super uno peccatore penitentiam agente.*

7. — Albertus Magnus addit: « Condignam, » juxta illud *Lucæ*, iii, 8: *Facite ergo dignos fructus penitentiae*, » et hoc est valde rarum; » adducitque S. Ambrosii testimonium, dicentis: « Facilius invenies, qui teneat innocentiam, quam qui condignam agat penitentiam; unum enim de mirabilibus Dei est, quod homo aversus revertatur, et quod de faucibus inferni extrahatur ad sinum » Abrahæ; et tamen fit, et est de gloriosis operibus » misericordiae Dei. »

## DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCE, CAP. V, VERS. 1

1. Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.
2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, et lavabant retia.
3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pußillum, et sedens docebat de navicula turbas.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Due in altum, et laxate retia vestra in capturam:

5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam, rumpelatur autem rete eorum.

7. Et annerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos, et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant.

10. Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens.

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

## VERSUS 1.

*Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, ipse stabat secus stagnum Genesareth.*

*Cum turbæ.*

1. — *Cum simplicibus sermocinatio ejus*; tametsi enim Scribæ, Pharisei et Principes synagoga, arrectis auribus illum auscultarent, id tamen non alio fine faciebant, quam ut verba ipsius suis possent censuris convellere, *ut caperent eum in sermone. Matth.*, xxi, 15.

2. — Interlinearis ait: « Conventus turbarum, » fidem designat populorum. »

3. — Glossa ordinaria ait: « Nec tempore, nec » loco, turba a studio sanandi cohibetur; vesper » incumbit, et tamen sequitur, stagnum occurrit, » et turba urget. »

4. — Didacus Stella populi hujus in audiendo Christum, devotionem magnam admirans, dicit: « Non solum in templo et synagoga, intra moenia » civitatis audiebant verbum, sed per montes ac » deserta properabant; » ac proinde nostram nobis exprobat pigritiam et desidiam, per quam a divino verbo auscultando nos continuo subducimus: « Nos » juxta Ecclesiam habitantes, parum itineris ambulare nolumus. »

5. — Hugo Cardinalis varios declarat fines, ob quos multi ex hæc turba concurrebant: « Quidam » currebant, ut miracula nova viderent: hi curiosi; » alii ut sanarentur: hi providi; alii ut observent: hi » invidi; alii ut audirent, sicut hic dicitur: hi studiosi. »

*Irruerunt in eum.*

6. — Ex hoc Evangelio, ut S. Ambrosius, *Serm.* lxvii, notat, satis manifeste colligitur, qualia et quanta Salvator noster, ad uniuscujusque utilita-

tem, miracula operatus fuerit: « Describit tanta » per eum beneficia in populum fuisse collata, ut » provocate hominum turbæ, ad audiendum illum » magis irruerent, quam eum rogarent, et medicum » nam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis injuriam; ita ut » irruentes non reverentia Divinitatis parcerent. »

7. — Jansenius in hoc verbo *irruerunt*, immensam quamdam, Evangelicam predicationem audiendi aviditatem, descriptam et expressam esse observat: « Notat Evangelista maximum turbarum » desiderium audiendi verbum Dei. » Ex alia vero parte, Christi erga turbam hæc admodum beneficii, vim mire attractivam considerat, utpote, quem sancta hæc turbæ impotunitas, non offendit, sed summo gaudio affectit, ut Evangelista insinuat: « Christi benignitatem et ad docendum cupidos » promptitudinem nobis commendat, dum enim » testatur nihil offensum improbitate urgentis turbæ, sed illorum desiderio satisfacere volentem, » navim consensisse. »

8. — S. Ambrosius insuper ad spem harum turbarum sese reflectit, quæ se ab infirmitatibus suis sanandas esse confidebant, unde singuli coram se eo certatim sistere contendeant: « Hæc enim » consuetudo infirmantium, ut dum sperant suis » ægritudinibus medicinam ab importuna petitione » non loco prohibeantur, non tempore, sed quanto » plus medetur ille, qui sanat, tanto amplius ille » importunus est, qui laborat. »

*Ut audirent verbum Dei.*

9. — Ecce tibi hic clare insinuatam causam urgentis et copiose confluentis turbæ: « Vehementi » desiderio movebantur, » inquit S. Bonaventura, » ideo irruerant, considerantes magis Domini bonitatem quam majestatem, unde dicit quidam » Expositor: Magni meriti est apud Deum, desiderare



« rium verbi Dei, quod ipsam quoque irreverentiam turbe irruentis in eum exusat. »

**10.** — Erant quidem alia quoque in unoquoque calcaria, quibus ad Christi sequelam extimulabantur; nimirum Christi liberalitas, qui multa hominum millia, pauculis panibus et piscibus miraculose sustentabat, miracula quoque, quae ad omnium occurrentium utilitatem operabatur; insignis denique, quem sibi omnes de ejus sanctitate et Divinitate formaverant conceptus; et tamen Spiritus Sanctus, qui sciebat quid esset in homine, haec omnia praeritens, causam, cur turba tanta cum importunitate in Christum irrueret, hanc fuisse dicit, *Joan.*, vi, 69: *Ut audirent verbum Dei*; siquidem hoc prae quavis alia re, nos ad Deum debet atrahere. Unde S. Petrus ait: *Ad quem vibimus? Verba vitae aeternae habes*; hoc unicum ad vitam beatam comparandum sufficit. Porro Chrysostomus, *Hom. 11 in laud. Paul.*, brevis quidem, sed valde emphaticis verbis multos verbi Dei auscultati fructus exponit: « Quomodo non admirabile hoc videtur, cum ex tenera lingua sermo prosiens mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras caecitatis illuminat et mutatione miracula terram convertit in caelum? » Unde notandum, quod in Psalmo *lxxvii*, 12, dicitur: *Domini dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, quod quidem intelligi potest non solum quoad energiam et efficaciam, qua illud ministri Evangelii insinuant; verum etiam de virtutibus, quas his verbum Dei cum fructu auscultantibus, communicant, quia verbum Dei multas animabus nostris virtutes inserit.

*Et ipse stabat secus stagnum Genesareth.*

**11.** — « Ut, qui miracula fecerat in terra, » inquit S. Bonaventura, in *Luc.*, « faceret etiam in aquis. » In illis vero aquis multa stupenda miracula patravit, prout videre fuit in illa nimium copiosa piscium captura, in tranquillitate illa maris subitanea et in eo, quod firmos in liquido mari ambulando gressus fecerit.

**12.** — Venerabilis Beda ait: « Stagnum, prae sens saeculum designat, Dominus autem non jam « in stagno, quasi in carne passibili; sed secus « stagnum, quia in ea carne, qua passus est, stabilitatem perpetuae quietis adiit. »

#### Additiones.

**a.** — Cum turba irruerent in Jesum ut audirent verbum Dei. Turba irruit importuna, ut audiret verbum Dei, primariis et ditioribus domi residentibus, aut temporalibus suis lucris inhiantibus, quia scilicet felicitas corporalis impedit ne vocem Dei audiamus. Moyses Propheta, in Deuteronomio, cum stupore, ne dicam, an cum furore, ingratitude populi Dei, qui tot ab eodem Deo beneficiis coelitus datis, honorumque terrenorum abundantia super-

abundanter locupletatus fuerat, reprehendit dicens: *Constituit eum super excelsam terram, ut concederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo; butyrum de armento et lac de ovis, cum adipem agrorum, et arictum filiorum Basan, et hircos cum medulla triditi, et sanguinem uvae biberet ueracissimum.* At vero quisnam tandem hujus fertilitatis, omniumque bonorum, licet fragillium et caducorum abundantiae finis ultimus extitit? *Incrassatus est dilectus, et recalcitavit, dereliquit Deum; in abominacionibus ad iracundiam conceitaverunt.* *Deut.*, xxxii, 13, 14, 15.

Porro eadem esset Deo de nobis concupere necessitas. Si enim totam hominum circumpicimus universitatem, multos videbimus homines pessimos et tamen adeo fortunatos, ut omnia illis pro voto et animi sententia felicissime succedant; *Psal.* x, 3: *Laudatur peccator in desideriis animae suae et iniquus benedicitur.* At vero quoniam haec cum vita impia summa conjuncta felicitas spectat? Numquid bonum signum esse censebis, si equo indomito frenula laxentur, ut pro suo possit libitu discurrere et vagari? prout iis fiebat, de quibus Deus ipse dicit, *Psal.* lxxx, 13: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.* Utique si sane judicare velis, id idem esse dices, ac si equus effrenis in praerupta se praecipitia deturbare, aut homo divinam justitiam asperime irritare et exasperare permitteretur. Unde Psalmista postquam dixisset: *Laudatur in desideriis animae suae*, immediate subiungit: *Excubavit Dominum.* At vero Deus hoc modo ab ejusmodi exacerbatus, quoniam in illos supplicio animadvertet? *Secundum multitudinem irae suae non quaeret*; quasi diceret: Alia illos poena non muletabit quam permittendo illis desideria cordis eorum adimplere, et prosperrime illis omnia in hac vita evenire; unde prosequitur dicendo: *Iniquitates sunt viae illius in omni tempore*; ubi S. Augustinus ait: « Nullum irascitur dum non requirit, dum quasi obliviscitur, et non attendit, » cuius ratio est, quia tandem aliquando terribilis illa et decretoria, audientur sententia dicentis Judicis: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* *Apoc.*, xviii, 7.

**b.** — Vide quomodo haec turba quae ex plebeis constabat, non tantum accedat, sed etiam fortiter irruat in Jesum. Sic quandoque etiam inferiores in zelo et fervore superant praepositos, qui tamen obligati sunt suis nunquam non hono preluere exemplo. Incarnata Sapientia, postquam in terram descendisset, ut hominem doceret, prius per trigenta annorum decursum operari voluit, et tandem ultimos tres annos eruditioni impendit; id quod hisce verbis insinuat: *Cepit Jesus facere.* Ut scilicet nos instrueret, quod potius facere, quam dicere debeamus, si efficacie persuadere velimus: « Pensandus est ordo verborum, » inquit Dionysius

Carthusianus, « in eo quod scriptum est: *Cepit Jesus facere et docere*, ita quod primo exorsus est « operari, deinde quod fecit et docuit. » Nihilominus Chrysostomus observat, quod licet Filius Dei diuturnum servaverit silentium, nihilominus per exemplarem adeo sanctamque vitam efficaciter praedicabat. Ideoque S. hic Doctor, Lucae Evangelium interpretans ait: « Indicavit, quod Jesus « faciendo docerit; considera quo pacto Christus « dicitis suis, per opera, fidem conciliaverit. » Quando namque, discursus est S. Doctoris, ad mansuetudinem audientes exhortabatur, primum hujus virtutis exemplar semelipsum assignabat. Paupertatem docuit, sed prius eam ipsemet practicavit, veraciter dicens: *Filius hominis non habet ubi caput recinet.* Dilectionem inimicorum recommendavit, ast et ipse in cruce pro crucifixoribus oravit. Consilium dedit ut tunicam violententer auferenti daremus et vestem; ast iste cum vestimentis totum largitus est sanguinem. Ita D. Chrysostomus qui tandem subnectit dicens: « Idem ut faceret et discipulis « praecipit; unde et Paulus dixit: *Quomodo enim habetis formam ex nobis*; nihil enim Doctore frigidius qui verbis dumtaxat philosophatur, neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis et hypocrite; ideoque Apostoli prius vitae exemplis docebant, deinde verbis; quin potius neque verbis quidem erat opus, cum clamarent opera. » Quantumvis namque Apostoli donum linguarum accepissent, et admirabilis eloquentiae flumine inebriati essent, nihilominus certissimum est eorumdem praedicationis energiam, plus in sanctorum et admirabilium operum exemplaritate, quam in verborum efficacia fundatam fuisse; siquidem ut S. Gregorius ait: « Ad amorem Dei et proximi, plerumque corda audientium, plus exempla quam « verba excitant. »

Cum S. Petrus Antiochie demoraretur, conversando cum Gentilibus, noviter Evangelio comparatis, quemvis cibum indifferenter cum eis manducabat; quem tamen vivendi modum, cum Hebraeis neophytis minime servabat, ne etiam illis scandalum daret, a cibis per antiquam legem prohibitis abstinere. Quod observans S. Paulus, zelo fidei stimulatus, acriter cum reprehendit: *Restitit ei in faciem quia reprehensibilis erat.* *Gal.*, ii, 14. Quod vero hac in re vel maxime proposito nostro deservit, est quod Paulus de semetipso asserat: *Dixi Cepha coram omnibus: Si tu cum Judaeis sis, gentiliter vivis et non iudaice, quomodo gentes cogis judicare?* At vero dicit fortasse nonnemo: qua ratione intelligendum est quod Petrus Gentiles ad ritus Hebraeos consecratos violententer coegerit? Num igitur contrarium facientibus, carceris, vel censuram poenas imposuit? Aut si id non fecit, quomodo verbum illud, *cogis*, intelligendum erit? Audiamus S. Thomam ad hoc respondentem: « *Cogis*, inquit,

« non imperio, sed exemplo, quia Principis est « Prelati validiora sunt exempla quam verba. »

Apud S. Joannem, x, 4, Christus Salvator noster de hono pastore, id est, de hono Prelato disserens, ait: *Oves vocem ejus audiunt; cum proprias oves emisserit, ante eas vadit et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* Ecce tibi in hisce verbis clare expressam in bono Prelato relucens salutaris exempli efficaciam; pastor enim vitae suae exemplaritate praecedit, quia *ante oves vadit*; et quid inde sequitur? *Et oves illum sequuntur.* At vero ex quo nulla verborum prolatorum fit mentio, qualis est vox illa, quam oves auscultant? Respondeo, exemplum est vox viva, quod proinde locum verbi supplet; nam ut S. Leo ait: « Validiora sunt exempla quam verba. »

**c.** — Non attenta ea, quae Domino debebatur reverentia, turbae irruunt in Jesum; et tamen Centurio, cum pro sanitate pueri rogaret, et Dominus in domum suam ire vellet, dicebat: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* *Matt.*, viii, 8. Valde autem mirum, quod turbae irruunt in Jesum et veluti inter se urgent, Centurio tamen ob magnam reverentiam, cum maxime presentia Christi aestuaret, Dominum ne in domum suam iret, avertit. Causam vero tantae in Centurione reverentiae assignat D. Augustinus, *Serm.* lvi de *diversis*. « Sic « Centurio, » ait, « interior presentem corde tenebat, cuius a suo tecto presentiam honorifice « revocabat. » Hoc enim certum est, quod quanto quis majorem de Deo cognitionem habet, tanto ei majorem prestat reverentiam et venerationem; quae cognitio, si in ullo aliquo, saltem in S. Eucharistia necessaria est, cui proinde semper antequam sumatur, attenta consideratio praemittatur.

**d.** — Haymon hunc locum: *Et ipse stabat secus stagnum Genesareth*, pulchra moralitate illustrat. Mare, inquit, mortalem ac caducam hanc vitam designat, quia sicut mare in fluctuatione est, sic praesens haec vita semper est in alteratione. Littus autem, seu statio significat immortalitatis gloriae permanentiam; quia Dominus, post suam resurrectionem habuit fixam suae aeternae quietis permanentiam, talemque beati habebunt. Inter alias hujus miserabilis vitae nostrae miseris, quas S. Job deplorat, una haec est: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* *Job.*, xiv, 1, 2. Continuum namque in setate, in vultu, in valetudine, in aliis naturae et fortunae bonis instabilitatem et mutationem hic in terra cernimus. Unde S. Anselmus ait: « In hac vita quis potest habere unde « securus valeat esse? Sub eodem enim momento « pauper ex divite, mortuus ex vivo potest existere. » E contra vero, de anima beata idem scribit: « Quidquid voluerit habebit et nihil ex eo se



« amissurum timebit. » Hanc quoque mutabilitatem D. Chrysostomus his verbis considerat: « Velut somnium sunt omnia sensibilia et generationi supposita sunt, et corruptioni. Licet enim corporis fortitudinem habeamus, ipsam dejicit aegritudo, aetiam exiit tribulatio, pulchritudini succedit senectus. Si mensa lauta fruamur, superveniens vesper voluptatem dissolvit, et praesentia sunt aranea imbecilliora, et somnis fallaciora. »

e. — Cardinalis Hugo alludens ad proprietatem illius stagni, quod fluentibus aquis, auram quamdam generabat, sic ait: « Stagnum Genesareth significat divitiarum terrenarum abundantiam, quae auras inanis gloriae, superbiae et rixae atque discordiae ex se generat. » Avaritia enim et divitiarum cupiditas omnis mali maximeque odiorum et rixarum inter proximos est origo. Sixtus Papa III, vel quisquis auctor est libri illius, in quo sub ejus nomine de divitiis diffuse tractatur, longum quendam malorum culpae et poenae ex vitata humanae cupiditatis radice provenientium textit catalogum dicens: « Quis sapiens dubitet cupiditatem fontem omnium malorum, radicem scelerum, calparum fomitem, propter quam nec terra, nec maria, nec ullus omnino locus, aut secure inhabitatur, aut sine pavore transitur? Hujus concupiscentiae causa, praedones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis et urbibus fures; propter hanc conventiones, rapinae, mendacia, perjuria, falsa testimonia, fraudes, impietates; hujus causa innocentium sanguine quotidie terra polluitur, spoliatur pauper, miser opprimitur, nec viduus, aut orphanus parcitur; propter hanc omnibus poenae momentis lex divina contemnitur; hujus causa nonnunquam expugnatur pudor, castitas vincitur, et per illicitas voluptates impudens libido vagatur; per hanc saepe parricidia partim votis, partim operibus perpetratur. »

Has tamen divitias quas stagnum significat Genesareth, natura lahiles, defectu subjectas, peccatorum procellis expositas, qui assicurare cupit, bene constructae navi, id est, manibus pauperum consignet. D. Chrysostomus ad praecipuum illud Christi: *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam*, se reflectens, *Serm. xxii*, his verbis scribit: « Tali providentia Dominus, consilio tali, villa et caduca jubet ut vendamus, ut largiamur, ut donemus, qui in caelesti regno omnia, quae in caelo et quae in terra sunt, volumus possidere. Sed si vis servare tuorum praedia praediorum et saeculorum forte condita te delectant, fac tibi saeculos, quales ille praecipit, qui jam cupiditatis tuae custos est et provisor. Denique ut vidit quia duxerit dixit: *Vendite quae possidetis*, mox adiecit: *Facite vobis saeculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis.* » Idem quoque Sanctus, motivum efficacissimum suggerit, quo ad bona

nostra pauperibus audacter confidenda permoveamur; dicit enim: « Iterum contristatus es, quia quod habes, in caelis cogis collocare? Rogo, crede Deo tuo, qui servo credis et magis Deo quam homini commenda. Sed si times, ne quid inde praesumat, ne quid desperat pietas largitoris, signa fidei annulo saeculos tuos, ut tali custode dormias securus, quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. »

## VERSUS 2.

*Et vidit duas naves, stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant et lavabant retia.*

*Et vidit duas naves stantes secus stagnum.*

1. — Albertus Magnus per duas hasce naves, duas denotari Ecclesias existimat, quae mutuis inter se nexibus conjungendae erant, scilicet Ecclesiam Circumcisionis et Gentilium Ecclesiam, utrumque enim populum inter se coadunavit. Idipsum quoque S. Bonaventura, *Serm. ii in hac Dom.*, his verbis dicit: « Scilicet Ecclesiam de gentibus et de Judaeis; vel prima navis est innocentia secunda poenitentia. » Idem quoque Albertus dicit, ita scribens: « Innocentiae et poenitentiae salutatis duas tabulas praeparans. »

*Piscatores autem descenderant.*

2. — Qualiter haec verba in sensu morali intelligenda sint, Albertus Magnus optime declarat, dum per hosce piscatores, Praelatos et Praedicatores intelligendos esse dicit, utpote quibus piscatio imposita est animarum, *Jer., xvi, 16: Mittam eis piscatores multos et piscabuntur eos*; hi a navibus descendent, cum ab utilitate proximi, cui per curam et praedicationem intendunt, ad considerationem sui humiliter redeunt.

*Et lavabant retia.*

3. — Dicit fortasse hic aliquis: Ex quo per totam noctem piscando ne vel minimum cepissent pisciculum: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus*, quo igitur sine retia lavabant, quae jamjam satis lota ex aquis extraxerant? *Omnia in figura contingebant.* Etenim Praedicatoris Evangelicis saepe numero sibi metipsis causam adscribere debent, quod nullum ex praedicationibus suis animarum lucrum reportent, quia retia sua non lavant, id est, animam propriam ab omni vitio, imo ab omni culpa nave abluere et purificare non student.

4. — Glossa ait: « Lota retia plicat, qui intermisso praedicandi officio, quod alios docuit, ille implere satagit. »

5. — Haymo Halberstadiensis in alio sensu illud exponit, dicendo, quod tunc piscatores retia lavant, quando « Praedicatoris sanctae Ecclesiae, post exple-

« tam praedicationem lacrymis abluunt, quod in praedicatione, aut forte per jaclantiam, aut negligentiam deliquerunt. »

6. — Albertus Magnus hanc lotionem interpretatur, quoad defectus contractos ab illis, qui regimen animarum administrant: « Quae ex cura pastoralis vel doctrina adhaeret; debet autem lotio ista maxime esse de tribus; a sermone videlicet adulationis, a limo turpis quaestus et a turbatione inanis gloriae. »

7. — Lucas Brugensis lotionem hanc in sensu litterali exponit, dicens: « Lavabant a limo et ceteris sordibus, quos nocturno usu contraxerant, ut mandata complerent et reponerent in aliud tempus, nulla jam cum esset praedicationis spes; » at vero in hac eadem occasione usitatus divinae providentiae stylus mire elaxit, haec enim, quando secundum modum discurrendi nostrum procul a nobis remota esse videtur, tunc vel maxime est propinqua et vicina, plurimumque superabundabat; siquidem *Concluserunt piscicum multitudinem copiosam; iuxta est Dominus his, qui tribulatio sunt corde.*

## ADDITIONES.

a. — *Et vidit duas naves stantes secus stagnum.* Dominus oculis suae misericordiae vidit duas naves, unam Petri et Andree, alteram filiorum Zebedaei; et vidit has duas naviculas, licet in se humiles, ad magna tamen mysteria destinatas. Per has duas naves Haymo et Hiericus intelligunt duos populos, Gentilem et Judaicum, quos mirabili prorsus modo, et etiam inter persecutiones gravissimas in una fide adunavit, ex quo probatur veritatem fidei Dei solius opus esse, quae semper inter tot persecutionum fluctus perseveravit.

b. — Per has duas naves, apte intelliges amorem Dei et proximi, in virtute cuius sine naufragio per hujus mundi pelagus, ad portum navigamus beatitudinis aeternae. D. Thomas, in *opusculo lxi, cap. xvii*, loquens de charitate, per auctoritatem quamdam S. Hieronymi, asserit: « Quilibet motus ejus valet regnum caelorum; » idque per quamdam in Evangelio assertam promissionem, optime probat, nimirum: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Matth., x, 42*; adeo unica duntaxat illius ignis scintilla ad Paradisi possessionem capiendam sufficit. Salvator noster jure merito nos exhortatur ut de thesauro in caelis expectando solliciti simus: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo.* Hoc enim fiet si divino amori totaliter dediti fuerimus; nam ex mente S. Thomae Villanovani, thesaurus indeficiens est amor divinus: « Hic ille thesaurus in agro absconditus, quem qui invenit, dedit omnia sua et emit agrum illum. » Et tamen hoc non obstante,

per quotidianam experientiam, prohi dolor, videamus quod amor cordis humani non dirigitur in Deum, sed prosequatur terram, non obstante quod illud et profundis visceribus, quae sua cum inferno vicina confinia habent, erui videamus, haecque ratione et caeli via turpiter aberramus.

c. — Dominus Jesus ad stagnum Genesareth oculos convertens, vidit duas naves; et quid aliud cerni potest in vastissimo piscium mundalis vita? Nihil mundus exhibere potest praeter naves. Navis est quisvis homo, furentibus fluctibus inpedaque cinctus. Psalmus *cvi* ejus miserias apprimè describit: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis; ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo.* Sed quae opera quae mirabilia Dei vident isti in mari? Jam explicat dum ait: *Dixit et stetit spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad caelos et descendunt usque ad abyssos. Anima eorum in malis tabescebat; turbati sunt et moti sunt sicut ebrius; et omnis sapientia eorum decorata est.* Ecce tibi ejusmodi vita humana in mundo est, nimirum navis commendata fluctibus tempestate actis.

d. — *Piscatores autem descenderant, et lavabant retia.* Glossa hic sic habet: « Lavabant retia ut ea plicarent. Lota vero retia plicat Doctor qui intermisso praedicationis officio, quod alios docuit, « ipse implere satagit, » quia plus persuadent opera quam verba. Ingeniosa est S. Petri Chrysologi, in ordine ad philosophos morales antiquos, consideratio, qui visis quidem rationibus et argumentis convincentibus contemptum mundi, sequelam virtutis et villi fugam persuadebant; nec tamen quidquam inde apud auditores proficiebant. « Audiunt, » inquit Chrysologus, « qui de bono mortis veterum vetusta volumina detriverunt, nihil tamen inde capere virtutis aut consolationis aliquid invenire voluerunt, quia etsi totis eloquentiae viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, « siccarunt lacrymas, suspiria sustulerunt, nihil tamen, aut de spe certa, aut de perpetua vita, aut de vera suis lectoribus salute conquisierunt. » Deinde Doctor causam examinat, cur doctrine illorum, caeteroquin ad intellectum convincendum efficaces, ad voluntatem tamen movendam, nec quidquam efficerent. Dicit igitur: « Sed haec talia cum dixerint, dicunt lotum de sententia, non de vita. » Non vero sic futere Doctores sacri, scilicet S. Augustinus, S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Joannes Chrysostomus, et similes alii, qui nullam in scriptis suis suaserunt virtutem, quin prius in semetipsis eandem praedicarent. Si propriae vitam contemptum pro salute proximi, in scriptis suis docebant, ipsi primi fuerant qui vitam pro salute proximi, in scriptis suis docebant, ipsi primi fuerant qui vitam pro salute gregis sui, vel pro defensione honoris Dei contumeliati, vel denique pro



fidei confessione, constanter exponeret. Optime igitur S. Hieronymus Nepotianum, *Epis.* x, monet, dicens : « Non confundant opera tua sermonem » tum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quicquid respondeat : Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis ? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat ; accusare avaritiam et latro potest : Sacerdotis Christi, os manusque concordent. » Celebre est factum illud quod in sancti et Seraphici Francisci Assisinate vita legitur ; hic enim die quadam socio suo ait : « Exeamus ad prædicandum. » Quo dicto, aliquot civilis plateas obibat, moxque ad conventum denuo rediit ; cui socius ait : « Ergone Pater sancte, non prædicabimus ? » Cui Sanctus subintulit : « Jam de facto prædicationem nostram perfecimus. » Illa namque religiosa morum compositio et modestia, qua per plateas eundo hominibus præluximus, salutaris quadam prædicatione fuit ; qua omnes ad devotionem et compunctionem permovei debuerunt.

## VERSUS 3.

*Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, et sedens docebat de navicula turbas.*

*Ascendens autem in unam navim.*

1. — Tametsi quæ tantum naves ibi præsto fuerint, Dominus tamen noster non nisi unam solam ingressus fuit, alia autem fortunam hanc nequaquam habuit, ut a sacris ejus contingeretur aut calearetur plantarum vestigiis ; id quod non sine mysterio factum fuit. Albertus Magnus ait : « In unam, una est enim Ecclesia, uno Spiritu vivificata, mota et communicata. » S. Ambrosius, *Serm.* xi, unam vacuum mansisse notat : « Una relinquitur ad terram, inanis et vacua ; altera producitur in altum » onusta et plena ; vacua enim synagoga relinquitur in littore, quia Christum cum Prophetarum amicitia oraculis ; onusta autem Ecclesia in cælum assumitur, quia Dominum cum Apostolorum doctrina suscipit. »

2. — Quæri hoc loco posset, cur dominus naviculæ istius se non opposerit, quando Christum navem suam occupare vidit ? Theophylactus respondet : « Dominum navis non reliquit irremuneratum, sed hilariam ei benefecit, quia et multitudinem piscium ei donavit et discipulum suum fecit. »

3. — Albertus Magnus se ad verbum ascendens inflectit, dicitque : « Quilibet Prælati in consideratione sui debet esse humilis, in regimine autem debet ascendere culmen auctoritatis ; » citatque auctoritatem S. Augustini, in Regula de communi vita clericorum, ita scribentis : « Honore eorum vobis Prælati sit vobis, timore eorum a Deo, substratus sit pedibus vestris, quo enim

« altior est in auctoritate, eo debet esse humilior » in sui consideratione. »

4. — Sed dices fortasse, cur Sapientia incarnata Evangelium annuntiare volens, hoc usa est pergamo ? cur non sublimiori aut excellentiori quadam usus est cathedra ? Nimirum ut nos doceret, quod nullus locus ad loquendum de Deo, seu divinum ejus verbum prædicandum improprius sit aut inopportunus ; unde Cajetan ait : « Nullus locus inopertus ad docendum, quæ Dei sunt, censetur ; modo in synagoga, modo in campo, modo de navi » secus stagnum prædicat Jesus. » Jansenius desiderium considerat, quod Christus habebat, tunc sine dilatione satisfaciendi populis istis ad prædicationem ejus audiendam avidè anhelantibus ; unde dicit : « Illorum desiderio satisfacere volentem, » navim concessisse, e qua a tumultu et compresse populi liber, tranquillius docere et melius audiri posset. »

*Quæ erat Simonis.*

5. — Ambrosius, *Serm.* xi, ait : « Ergo Petri » navem eligit, Moysis describit, hoc est, spernit » synagogam perfidam, fidelem assumit Ecclesiam ; » alia navis prope terram inanis et vacua remansit, hæc vero in altum mare perducta fuit. Idem S. Ambrosius ait : « Synagoga remanet ad terram, quasi terrenis inhærens operacionibus ; » Ecclesia autem in altitudinem elevatur, tanquam cælorum profunda Sacramenta discutientis. »

6. — S. Bonaventura, *Serm.* 1 in hac Dom., ait : « Navis Simonis est Ecclesia, Simoni commissa. » Jansenius non solum hanc navis Petrinæ electionem considerat, verum etiam, quod Simoni et non aliis dixerit : *Duc in altum*, et paulo post : *Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens*, quæ omnia primatum ejus manifeste insinuant : « Petri in Ecclesia » prærogativam et primatum a Domino dandum » indicant, quodque primum ab eo faciendum esset » rete Evangelicum in mundo et Ecclesia, cujus » Petrus caput esset, deberet esse, quicumque jussu » Domini rete esset jactatus. »

7. — S. Bonaventura in Lucam ait : « Ipsum » tanquam pauperem et humilem prælegendo, » secundum illud : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo.* Jac., ii, 15. »

*Rogavit.*

8. — Toletus specialiter ponderat, quod benignissimus Salvator summa cum civilitate et modestia cum Petro egerit, eum scilicet rogando : *Rogavit* : « Potuisset quidem omnium Dominus » imperare et compellere, sed suæ humanitatis » et mansuetudinis voluit exemplum exhibere omnibus, præsertim majoribus, ut in iis, quæ a minoribus impetrare humanitate possunt, vim potestatis suæ deponant. »

9. — Enimvero quæri hoc loco potest, cur Salvator S. Petrum rogavit, ut a terra pusillum reducat, cum tamen nec verbum quidem illi locutus fuerit, priusquam navim ejus ingrediens, possessionem illius acciperet ? Idem Cardinalis cum S. Ambrosio, *Serm.* xi, respondet : « Cum ab » irruentibus turbis semolus, in terra esse non » posset, aspiciens in mari duas naviculas, unam » Petri navim omni festinatione conscendit, ut importunitatis injuriam aquarum natura depelleret ; hæc autem subita festinatio ad hoc, ut navim ejus ingrediendi licentiam peteret, tempus ei non indulsit ; jam vero intra navim constitutus, omnem defectum antecedentem, si tamen talis commissus fuisset, hoc verbo *Rogavit*, emendat ; hæc tamen ratione admissa, potius dicendum videtur, hoc totum factum fuisse causa mysterii. »

10. — Idem quoque verbum a Carthusiano his verbis ponderatur : « Ex hoc ostenditur maxima » Christi dignatio, mansuetudo, et pietas quod Petrum pro tam parva re tam modeste, humiliter » que rogavit, etsi præcipere potuit ; docens Prælatos, ut promiores sint ad monendum, quam ad » præcipiendum, magisque cupiant diligi quam » timeri, II *Thess.*, iv, 1 : *Non dominantes, etc.* » *Rogamus vos et obsecramus in Domino.* »

11. — S. Bonaventura quoque hanc eandem humilitatem admiratur, dum ait : « Nota hic humilitatem Domini, quia rogabat Petrum servum » suum. » Qui idem testimonium citat S. Ambrosii advertentis, quod Deus sibi a nobis servitium præstari velit, non per violentiam, sed libera voluntate : « Coacta servitia Deo non placent, tum quia, ut » dicit Seneca : Generosus est animus hominis et » facilius ducitur, quam trahitur. »

12. — Didaeus Stella in ea est opinione, quod Salvator noster non solum hac urbanitate usus fuerit erga Petrum, dum illum, ut a terra pusillum reduceret, rogavit, sed etiam quando navim ejusdem conscendit ; tametsi S. Lucas idipsum non referat, quia in re non docere voluit : « Nullum » esse opus Deo acceptum, nisi sit voluntarium ; nam opus bonum ex dilectione pensatur, nam » *hilarem autorem diligit Deus* ; quanto plus dilectionis opus habuerit, tanto magis Deo erit acceptum et meriturum. »

*A terra reducere pusillum.*

13. — « Qui enim vult alios docere, » inquit S. Bonaventura, in *Luc.*, « debet interiori affectu » terrena contemneret. » Quotquot enim animo ab his terrenis rebus magis alieno hic in terris vixerunt, efficaciora semper fuerunt in prædicatione Dei instrumenta, innumeratæque et admirabiles fuerunt animarum conversiones, prout in SS. Dominico, Francisco, Bernardino Senensi et aliis videre licet : *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia*

*traham ad me ipsum.* Joan., xii, 12. Sic quoque Apostolus, qui Gentium Doctor fuit, cuique totius mundi conversio attribuitur, hunc terrenarum rerum contemptum in summo gradu professus fuit, dum ait, *Phil.*, iii, 8 : *Omnia arbitror ut stercora* ; non vestra sed vos. De Apostolis quoque dicitur : *In omnem terram exiit sonus eorum et in fines orbis terra verba eorum*, idque, quia hæc tubæ Apostolicæ intus in animo suo omnibus erant terrenis cupiditatibus inanes et vacuæ. Nam, ut Hugo Cardinalis ait : « Tuba, per quam designatur Prædicator, non resonat, nisi vacua, et Prædicator debet esse vacuum, » per rerum terrenarum contemptum. »

14. — Albertus Magnus in sensu mystico optime dicit, doctrinam Evangelicam tribus potissimum modis, a terra, id est, ab effectibus terrenis pusillum abduci ; nimirum : « In sensu verbis, in conversatione audientis, et in affectu verbum capientis. In sensu verbis, quia novellus auditor profunda » non intelligit, sed ea, quæ juxta terrenas similitudines dicuntur, melius sapit ; in conversatione, » quia talibus non sunt imponenda gravia, sed » levia ; non multum a conversatione civili elongata, et tunc melius portant ; in affectu autem » carnali non longe sunt removendi, quin relinquantur eis temporalia, et ordinetur dispensatio, » *Prov.*, xxx, 8 : *Mendacitatem et divitias ne dederis mihi, tantum victui meo tribue necessaria.* Medio modo eundem est cum auditoribus. »

15. — Venerabilis Beda similiter hinc colligi dicit, quod Prædicatores erga auditores suos mediocritatis viam tenere debeant ; dicit enim : « Significat vel temperate utendum verbo ad turbas, » nec terrena eis præcipiantur, nec sic a terrenis » in profunda Sacramentorum recedatur, ut ea » penitus non intelligant. » Eiusdem quoque sententiæ Hugo Cardinalis fuit, quod scilicet non subito Prædicatores suis in sermonibus auditores suos ad bona temporalia deserenda hortari debeant : « Sed pusillum, hoc est, paulatim ab amore » terrenorum retrahendi sunt. » Præterea his verbis Christus dicere voluit, quod primo a rebus facilibus, minorisque ponderis et momenti inchoandum sit, et sic paulatim ad graviora descendere possunt. »

16. — S. Gregorius ait : « Etiam a terra paululum reduci jubet, quam nec in altum duci, et » tamen a terra præcipit moveri, profecto significans, Prædicatores suos rudibus debere populus » nec alta nimis de celestibus, nec tamen terrena » prædicare. »

*Et sedens.*

17. — Toletus sessionis hujus mysterium his verbis enucleat : « Sedens autem docet, ut prædicatiois gravitas et docentis majestas indicentur. »

18. — S. Thomas in sensu morali, *Serm.* in hac Dom., ita scribit : « Per naviculam intelligitur sanc-



« titas vite, in qua debet sedere, qui alios vult « docere. »

**19.** — Didacus Stella dicit : « Sedit, ut non « perfuntoria et velit aliud agens, sed summa « cura et maximo conatu infirmitatibus animæ tuæ « medeatur, admirabilis doctrinæ excellentia. »

**20.** — Considerandum quoque est, quod Spiritus Sanctus, de quo Christus Apostolis spūs dixit, *Joan.*, xvi, 13 : *Docebit vos omnem veritatem*, quando super illos descendit, ut ipsos Magistros et Ecclesiæ faceret prædicatores, *sedit supra singulos eorum*, idque, ut Theophylactus ait : « Quia orbis « terrarum Doctores designabantur et ordinabantur, « tur. » Dicit quoque potest per hanc Christi in navi Petri sessionem, auctoritatem et potestatem indicatam fuisse, quam ipse usque impertiebat Ecclesiæ, omnes in rebus ad mores et dogmata fidei et religionis catholice spectantibus erudiendi, navis igitur cathedram figurabant D. Petri. Interlinearis super præfatum locum Actuum Apostolicorum scribens, dicit : « Quod sedet, regia potestas est. » (Œcumenius dicit, quod sessio illa erat « stabilitatem significans, dictio enim *sedit*, idem significat quod « permansit; » et ideo per sessionem illam monstrare nobis voluit, quod doctrina illa, que in navi Petri annunciabatur, ut futura esset stabilis, nec unquam defectura; quidquid enim Christus prædicavit in Ecclesia, manet, manebitque deinceps in finem usque sæculorum. « Sedit enim verbum, » inquit pariter D. Chrysostomus in Acta Apostolorum, « stabilitatem declarat. »

#### *Docebat de navicula.*

**21.** — Quævis alia doctrina, quæ foris extra hanc navim prædicatur, potest esse suspecta, solum illa, quæ ex hac navicula, id est, ex cathedra D. Petri docetur, infallibilis ipsissimaque veritas est.

**22.** — Didacus Stella ait : « Sedit docens in navicula Petri, uti insinuat, se Ecclesiæ suæ semper « assistere, quæ navicula Petri est; nunquam dere- « linquit, semper eam docet et erudit. De navicula « docet, ut insinuat, neminem posse docere, qui « extra naviculam Petri sit, nam qui extra Ecclesi- « am docet, is non bene docet, sed potius se- « dicit. »

**23.** — S. Lucas quidem, quamnavis hujuscæ prædicationis Christi materia fuerit, non exprimit nec declarat; Lucas tamen Bregensis dicit : « Prima « Christi conicio, *Math.*, iv, 17 : *Pœnitentiam agite*, « *appropinquavit enim regnum celorum*, diligentis- « sime observanda est; hæc enim est compendium « et summa omnium Christi concionum. »

**24.** — S. Ambrosius Salvatoris nostri admiratur benignitatem, utpote qui voluntati devotorum suorum condescendit, a quibus tametsi corpore procul remotus esset, mediante tamen salutari doctrina, quam illis ministrabat, intime conjunctus erat ;

« Videte misericordiam Salvatoris; separatur, qui- « dem ab hominibus corpore, doctrinæ tamen iis « utilitate conjungitur, ubique miseretur, ubique « prodest; in terra positus, per tactus languores « corporum sanat, in mari constitutus per doctrin- « am vulnera curat animarum. » Nazianzenus ait : « Cunctis condescendens, ut a profundis « extrahat pisces, hominem scilicet, natantem in « mobilibus rebus et amaris hujus vitæ procellis. »

#### *Turbas.*

**25.** — Hugo Cardinalis considerat, quod non principes synagogæ, non Scribas et Phariseos docuerit, sed populares. S. Bonaventura ait : « Id est, « simplices et humiles : *Cum simplicibus sermo- « catio ejus; quia abscondisti hæc a sapientibus et « prudentibus, et revelasti ea parvulis.* »

#### *Additiones.*

**a.** — *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, etc.* D. Ambrosius, *Serm.* lxx, has duas, quid significant nobis explicat naviculas. Zebedæi navis synagogam designat, in qua Deus olim per mare Rubrum navigavit. Et quia synagoga Judæorum multis injuriis ac obdurationibus læcesserat Dominum, merito hæc navis vacua continentur et derelinquitur. At fidelis navicula Petri, scilicet Ecclesia eligitur, ut multis sit donis repleta. Qui enim, ut synagoga pro beneficiis datis injurias rependit et solvit, merito deserit ac repellitur. Et quo majora sunt beneficia, eo severiora sunt supplicia ingratorum.

Inter alia beneficia quibus Deus honorat quandoque ingratos, licet mysterii nescios, est gratiarum divinarum subtractio, ne majorem sibi comparent et adescant suppliciorum severitatem; dicente S. Joanne Damascena : « Deus eorum, quos beneficio « afficit, salutis vehementius consulens, interdum « non statim dona sua ipsis impertit, atque infun- « dit, idque utilitatis ipsorum causa; ne scilicet « majori supplicio obnoxii reddantur, qui divinas « gratias proculcarint. » Ita Nazarenus Christi improbabant in miraculis apud ipsos perpetrandis, aliisque beneficiis in eos conferendis raritatem, cum tamen apud alios prodigii esset, dicente Scriptura : *Pertransiit beneficiando et sanando omnes.* Sed non attendebant miseri, hanc ipsam parcitatem, eorum esse beneficium; cognoscens itaque Christus eorum ingratiitudinem, a severioribus subsecuturis eos volebat eximere supplicis. Licet enim de toto genere humano verehæretur, quod *Deus in propria venit, et sui eum non receperunt*, nihilominus culpæ hujus, vel maxime rei exiterant proprii populares. Nazareth enim Dominus inter omnes mundi civitates solemni illa cœlesti missa legatione, Regina celo-rum natalibus atque, incolatu diurno, ipsiusmet Christi incarnatione, educatione et supra triginta

annos apud ipsos demoracione honoravit. Numquid plura hominibus istis præstare poterat Deus beneficia? Et nihilominus ingratiissimi presentem Messiam agnoscere non laborarunt, imo adversus ipsum concitati, e civitate eiecerunt, supraque montis verticem, ut præcipitaretur deorsum conducerent. Tantam itaque Judæorum invidiam, malitiam et ingratiitudinem probe sciens Deus, majora iis beneficia exhibere detrectavit. « Considera post quantam « signorum manifestationem, » inquit D. Chrysostomus, *Hom.* xlix in *Math.*, « ad ipsos venerit et ne « sic quidem rursus suslimerit; quin rursus odio « inflammarentur, quocirca nec fecit signa multa, « ne majus supplicium illis accresceret. » Lamentabantur illi dicentes : *Qualia fecisti in Capharnaum, hæc et hæc in patria tua.* Ast quia Capharnaum ex beneficiis receptis fructum non tulerat, merito et contra hanc sibi datam injuriam exclamavit Christus, *Marc.*, xi, 23 : *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia si in Sodomis facta fuissent virtutes quæ facta sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissus erit in die judicii quum tibi.* Ideoque S. Bernardus, *Serm.* contra *ingrat.*, ita scribit : « Nec « reprehensibile, quod instanter petimus, sed plane « petitioni negat effectum, quod invenimur ingrati. « Et forte hoc etiam clementia videtur ingratis « negare, quod postulatum, ne contingat nobis ut « tanto gravius de ingratiitudine judicemur, quanto « magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur « extitisse. »

**b.** — Christus e navi docens turbas, non longe a terra volebat reduci navem, sed pusillum. Quia Prædicator docens populum, non omnino debet a mundo separari, ita ut non conspiciatur; quinimo convenit, ut bona opera ejus videat; magna enim est Ecclesiasticorum obligatio, ut proximis sæcularibus bonum præbeant exemplum, ut quod verbis docent, operibus confirmetur. Ideoque Salvator noster illos speciali præcepto ad hoc obstringit, dicens : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* *Math.*, v, 16. Ubi S. Chrysostomus ait : « Sic illuminate docentes, ut non vestra « tantum audiant verba, sed ut opera videant. Per « illos, qui docent et faciunt, magnificatur Deus, « nam disciplina domini ex moribus familie de- « monstratur. » Familia autem sunt Clerici et Sacerdotes, utpote qui divino ipsius ministerio dedicati sunt et consecrati. Ac proinde a S. Paulo domestici Dei appellantur.

S. Paulus qualitates, quæ in iis, qui ad regimen animarum sunt destinati, concurrere debent, præscribens, ait, *1 Tim.*, iii, 2 : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse; oportet illum et testimonium habere ab iis qui foris sunt.* Alibi pariter ad Titum,

*1, 7*, ita scribit : *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non violentum, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.* Maxque rationem reddit, cur illum tot virtutibus tantaque exemplaritate dotatum esse desideret, scilicet : *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Vultisne scire quanam vere doctrina sana censenda sit? Interlinearis super illa verba : *Luceat lux vestra*, inquit : « Vere docet « qui facit quod docet. » E contra vero male docet, qui exhortatur, admonet et præcipit bona, ipse vero doctrina suæ propriis operibus minime correspondet. « Male doces, si male agens bene loquaris, » inquit Petrus Blesensis; « fortior enim vox operis, « quam oris. » Idem quoque insignem habet observationem circa Sacerdotum ordinationem : « In « ordinatione Sacerdotis, » inquit, « labia et manus « Domino consecrantur. » Cum enim officium Sacerdotum sit animas in timore instruere et erudire, easque in viam bonam præceptorum divinarum dirigere, eo ipso, quo sæculares malis operibus suis scandalizant, doctrinæ a se traditæ fidem adimunt, tametsi alias a veritate non discordet. Ac proinde salutare est illud S. Prosperi consilium, dicentis : « Sancte vivendum est Sacerdoti, ne dicta « sua repugnantibus factis evacuet, si, quod præ- « dicat fieri debere, non faciat, aut si, quod non « facit, prædicare presumpserit; si autem aliter « egerit, nihil apud eos, qui ejus vitam novæ, « proficit. »

**c.** — Stabant turbæ, Christus vero sedebat, ostendens auctoritatem et reverentiam, quæ sæculares tenentur colere et revereri Sacerdotes in recognitionem magnorum beneficiorum quæ ab illis recipiunt. S. Apostolus, *Heb.*, xii, 17, monitum quoddam salutare tradit, ad Sacerdotes magis honorandos seitu utilissimum : *Obedite præpositis vestris et subjacetis eis*, inquit. Quodnam esse hujus subjectionis et obedientiæ motivum esse existimas? Subdit Apostolus : *Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animalibus vestris reddaturi, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.* Honorandi itaque sunt Sacerdotes, quia illis salutis nostræ, non corporalis spiritualis et æternæ sollicitudo incumbit; adeo ut honores et obsequia, quorum illis debitores sumus, a nobis titulo oneroso recipiant. Majori utique cum gaudio et voluptate onus ministerii sui in beneficium nostrum portabunt, si nos illis obedientes et subjectos esse experiantur, videntes sudores et labores, quos nostri causa subeunt, non esse inutiles. Sic quoque agricola gaudet, quando terram quam aratro et ligone suo excoluit, abundantem fructum reddere conspiciat. Audiamus S. Carolum Borromeum hæc de re loquentem; quando enim Parochis præscribit, ut subjectæ sibi plebi, debitum Ecclesiasticum



a secularibus deferendum respectum insinuare sagant, ita scribit: « Fidelibus ostendet, quanta sit « cleri dignitas et quo honore digni Ecclesie ministri; proinde graviter palerque eos arguet, qui « clericos Sacerdotesque negligunt vel aspernantur. « Proponet illis molestiam, curas, vigilias, quas « populi causa illi sustinent, usque adeo, ut isti « intelligant honorem, quem ipsi clericali, sacerdotalive dignitati præstant, non tanti esse qui « dignitati officii et laborum sacerdotalium, clericorumque magnitudinem adæquet. » Quot et quam insignia sunt, quæ seculares ab Ecclesiasticis quotidie accipiunt beneficia? Confessiones nimirum sacramentales, verbum Dei prædicatum, conferentia spiritualia, consilia, admonitiones, orationes, sacrificia, ac denique sacramentorum administratio. In præambulo Concilii Chalcedonensi, Flavinus Episcopus Constantinopolitanus ad Leonem Papam ita scribit: « Nihil honorabilius præstant, non tanti esse qui « spes atque salus et repressio promissorum bonorum, in iis est. »

In Annalibus Ecclesiasticis præceptum quoddam refertur, quod Carolus Magnus Ludovico filio suo, a se jam coronato imperatori, imposuit; præcipit enim ei, ut omne studium suum in Dei timorem, Ecclesiarum defensionem, Sacerdotesque tanquam patres suos a se honorandos et respiciendos collocaret. Theodosius et Valentinianus Augusti, in quadam lege imperiali circa Sacerdotes honorificentissima hæc verba rescripserunt: « Quibus, » scilicet Sacerdotibus, « omnis terra capti inclinat. » Basilius Imperator Leoni filio suo suasit, ut si ab aliis honorari cuperet, Ecclesiam, ejusque ministros venerandus honoraret: « Honora Ecclesiam Dei, » inquit, « ut « te vicissim a Deo in honore habeatis et Sacerdotes « ejus reverere, tanquam spirituales patres, et de- « precatores pro nobis apud Deum. »

**d.** — Sacer Evangelista refert quod Jesus docebat de navicula turbas et non explicat, quid de navicula doceret; sane quia ea docebat, quæ manifestissime nos docent universæ naves. Quis nesciat doctrinam et philosophiam navium quæ nimis onerata pereunt, et evacuatæ ocissime navigant? Audi D. Basilius in *cap. ii Isaie* sic loquentem: « Quem- « admotum enim naves onere immo dico degravatæ « ad portum multo cum negotio provehantur, ac « facile subeunt naufragium; pari ratione corpora, « quæcumque tandem multa ac redundant ali- « monia ad obesam carulentiam devergunt, per « voluptatum illecebras, in imam voragine perditionis natando immerguntur. » Emulemque naves in periculis, dum cupiditatum oneribus pressi et gravati, aut in perditionis voragine merguntur, aut hæremus in salebra, aut ægre et difficulter portum attingimus felicitatis. Sit igitur nobis portus pretiosior omni alia re. Navis ut portum attingat, nullis bonis, nulli auro parcat; omnium rerum jacturam

patitur, quo superet tempestates. Sic et nos pro anima nihil non contemnamus. Quisquis enim nimium per affectum suum bonis terrenis est immersus, iisque oneratus, ab omni lumine et cognitione Dei est alienus.

## VERSUS 4.

*Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum et laxate retia vestra in captivam.*

*Ut cessavit autem loqui.*

**1.** — « Doctrinæ adjungit opera, » inquit Toletus, « quæ ad persuadendum plus ponderis habent, « et quos verbis non moverat, miraculo obstupes- « cere facit. » Quatuor quidem facti sunt in hoc Evangelio Christi discipuli, sed, postquam præsens viderunt miraculum, non vero quando illum audierunt prædicantem. Et quidem, hæc in re, utilissimum omnibus Prædicatoribus post se reliquit documentum, inquit idem, qui Prædicator fuit Apostolicus, « ut post prædicationem otiosi non maneant, sed « sanctis operibus vacent, ut, quod docuerunt verbo, « confirmet opere, et quos prædicatione non va- « luerunt ad virtutem exilare, via ipsa pertra- « hant. »

**2.** — Didacus Stella, Christum se ad miracula patranda accingere voluisse existimat, ut veritatem confirmaret, quam prædicaverat: « Ut vera esse « ostendat, quæ antea dixerat post prædicationem « miraculum operatur, sic et Apostoli profecti præ- « dicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem « confirmante sequentibus signis. »

*Dixit ad Simonem.*

**3.** — « Cui mundi et maris cura committenda « erat, » inquit Albertus Magnus; S. Ambrosius notat quod Salvator noster omnibus quidem in plurali numero præcepit, dicens: *Laxate retia vestra*; at vero in singulari numero soli Petro sapientissimus Magister dixerit: *Duc in altum*. Solum Petro dicitur: *Duc in altum*. Porro per hæc piscationem in alto mari factam, sublimissimum mysterium intelligentia denotatur; de hæc naves idem S. Doctor ait: « Ecclesia in altitudine re- « vocatur, tanquam cælorum profunda discutiens. » Scribæ, Sacerdotes et Doctores synagogæ litteratis- simi et expertissimi, de Christo dixerunt, *Matth.*, xii, 55: *Nonne hic est filius fabri?* Petrus, ad quem felicissima illa navicula spectabat, cui mandatum fuerat: *Duc in altum*, dixit, *Matth.*, xvi, 16: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; ad Emphyreum usque pervenit, *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater cælestis*. S. Dionysius Areopagita piscatorem hunc, paulo ante simplicissimum idiotam glorioso hoc titulo honorat, quo illum appellat *antiquissimum Theologorum culmen*. Idem quoque D. Chrysostomus attestatur, *Hom. iv in Act.*, dum ait: « Doctrina

« sua instituit omnes, ipse præcipuus catechista « habetur, et primus exitit verbi concionator. » S. Ambrosius, *Serm. xliii in Dom. III post Pentec.*, ait: « Ecclesia in altitudinem revocatur, tanquam celo- « rum profunda Sacramenta discutiens, in illam « scilicet altitudinem, de qua Apostolus ait: *O « altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Prop- « terea dicitur Petro: *Duc in altum*, hoc est, in « profundum disputationis generationis divinæ. « Quid tam profundum, quam quod ait Petrus ad « Jesum: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. » Idem quoque sanctissimus Præsul alio loco, *lib. III de Virg.*, in memoriam revocat, quod Samaritana Salvatori opposuit, dum ait: *Puteus altus est*: « In arena erat, quando in synagoga erat; alta non « erat aqua Judææ. Denique Samaritana et puteum « altum putabat, dicens: *Puteus altus est; unde « dare mihi habes aquam vivam?* non ergo docere « in altum poterat, quando cum Judæis credebatur, « qui etiam de puteo aquam haurire non poterant; « ideo dicitur Petro: *Duc in altum*, id est, duc in « Christum, *altum enim est Christus, de quo dici- « tur: El tu Propheta Altissimi vocaberis.* »

**4.** — Albertus Magnus per hoc altum mare, magnates et potentes sæculi hujus, quod in mari symbolizatur, *Psal. ciii, 25: Hoc mare magnum et spatiosum*, intelligendos esse dicit: « Altitudo maris « est et altitudo secularis dignitatis, in qua sunt « reges, dukes et principes, qui se reti debent « inclinare, » adducitque illum Isaie, *lx, 12*, textum, ubi prædictum fuit: *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit; suges lac gentium et mammilla Regum lactaberis*; at vero quando pisces grossiores rete ingressi sunt, alii quoque minores consequenter ingrediuntur: « Tali piscatione capti sunt Constan- « tinus et alii, qui Ecclesiam fundaverunt. »

**5.** — Venerabilis Beda notat, quod Christus prius turbis illis prædicaverit, postea vero retia in altum ut jacerentur, præcepit; ad denotandum, quod Evangelium prius annuntiandum sit populis vicinis, postea vero extendendum ad loca remotiora magisque distantia: « Ut quod dicit idem Petro: « *Duc in altum, et laxate retia vestra in captivam*, « ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum « est, pertineat. »

**6.** — Albertus Magnus ait: « Spiritu præeunte, « auctoritate Scripturæ confirmante; » citatque librum quemdam, de animalibus tractantem et dicit, quod vastiores pisces in altissimo mari ut plurimum commentur: « Altum maris, altum « intelligentiæ spiritualis, conversationis, contem- « plationis. »

**7.** — Poterat quidem Dominus noster facere, ut copiosa illa piscatio in littore, ubi simul erant, non vero in alto mari fieret, quo etiam modo facta, miraculum emicisset longe prodigiosius; at vero tunc discipuli nullum obedientiæ meritum habituri

fuisent; tametsi enim paulo ante retia sua sine ullo prorsus fructu per totam noctem eiecerint: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus*, nihilominus modo sine ulla contradictione, ad solum Christi nutum, dum nondum illorum esset Magister, eadem retia denuo in altum mare jacere non omittunt: « Captivantes intellectum in obsequium ejus, » redeunt ad altum mare, suaque retia explicant, idque tempore diurno, quod ad piscandum inop- portunus et minus commodum est nocturno: *Et concluderunt*, etc.

**8.** — Advertendum quoque est, quod Petrus tunc præcipue concluderit piscium multitudinem copiosam, quando Christus ei, naviculam suam, a littore in altum mare reducere præcepit, ubi validissima spirabant venti adeoque navicula ab undis et procellis periculose jactabatur; quia quanto Ecclesia amplius a persecutoribus infestata fuit, tanto fidelium numerus in vehementius crevit. Unde S. Leo ait: « Non minuitur persecutionibus « Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicis ager « segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula « cadant, multiplicata nascuntur. »

*Et laxate.*

**9.** — Cardinalis Toletus hoc loco interrogat, quare Christus, postquam soli Petro dixerat: *Duc in altum*, postea omnes alios simul retia sua laxare jussit, et respondet, id duas præcipue ob rationes factum fuisse; quarum hæc prima est et literalis, quia clavo sive temoni navi gubernando, unicus tantum sufficiebat, qui navim in altum ducere poterat; at vero ad explicanda retia plures longe desiderantur; alia vero ratio mystica est: « Quia « ducere navim, ad speciem regiminis spectat, « significabatur autem solus Simon totius Ecclesie « rector futurus; retia vero laxare ministerii est, « quod ad multos spectat; unde in Ecclesia unum « caput est, multi autem verbi prædicatores. »

*Retia vestra.*

**10.** — Priusquam ad copiosam illam piscationem faciendam dimitteret, illos primo verbum divinum attendere auctorale voluit, ut non doceret, quod omnia opera nostra tunc vel maxime prosperum sint habitura progressum, si devotio congrua, obsequium, item et cultus divinus ejusmodi operibus præmissus fuerit, *Luc.*, xii, 31: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*. Ad hæc Salvator noster nunc piscationem quamdam spirituale instituit, id est, quatuor simul Apostolos uno tractu in retia sua adigere volebat; et ideo cum illi piscatores essent, eosdem quoque piscatione mediante ad se pertraxit: « Con- « descendens nam hominibus, » inquit Chrysostomus, « sicut Magos per sidus vocavit, sic et piscatores « per piscatoriam artem. »



**11.** — S. Ambrosius super hujusce piscationis instrumentis, rebus nimirum, ingeniosam quandam affert considerationem; de industria igitur rebus uti voluit, quibus pisces vivi capiuntur, et vivi manent, non vero talibus instrumentis, quae mortem conciliare alicui possent: « Bene Apostolus instrumenta piscandi retia sunt, quae non captos perimunt, sed servant, et fluctuantes de infiniis ad superna traducunt. »

**12.** — S. Bonaventura notat quod Christus non rogando, sed imperando dixerit: *Laxate retia*, ut se Dominum et patronum maris esse declaret: « Imperando dicit, ut ostendat quod omnia subiecti Deus pedibus ejus, *volucres caeli, et pisces maris*; » unde in principio Matutini canimus: *Quoniam ipseus est mare, et ipse fecit illud.*

**13.** — Memorandum quoque quod Salvator alia quadam vice, *Joan.*, xxi, 6, alium diversum, retia explicandi modum, discipulis praescripserit, dum ait: *Mittite in dexteram navigii rete*, et ideo merito inquirenda est hujus diversitatis ratio. S. Gregorius, *Hom. xxv in Evang.*, apte ad hoc respondet, dum ait quod piscatio, quae post resurrectionem ejus facta est, numerum praefigurat electorum, non vero item illa, quae in hodierno Evangelio memoratur, de qua idem S. Pontifex ita scribit: « Illa piscatio, in qua specialiter, in quam partem rete mitti debeat, non jubetur, praesentem Ecclesiam designat, quae bonos simul et malos colligit, nec eligit, quos trahat, quia et quos eligere possit, ignorat. Haec autem piscatio post Domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est, quia ad videndam claritatis gloriam, sola electorum Ecclesia pertingit, quae de sinistro opere nihil habebit. »

#### In capturam.

**14.** — Per hoc verbum, utilissimum quoddam Evangelii ministris insinuat documentum, nimirum quod facultate et doctrinae suae retia minime extendere aut explicare debent ad vanam ostentationem, sive ad acquirendos sibi applausus humanos, seu in adsciscendam sibi penes mundum, viri ingeniosi et sapientis famam et conceptum, sed finis illorum unicus hic esse debeat, ut animas Deo piscari possint: *In capturam laxate retia*, secus enim si fecerint, adimplebitur in illis, quod Petrus ait: *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*; quod igitur Christus Petro dicit: *Duc in altum*, idem quoque Praedicatores Evangelici sibi dictum esse censere debent; conari etenim debent, ut auditorum suorum mentes ad alterius vitae bonam, ad Dei notitiam, ad aeternitatis et immortalitatis animae considerationem, ad mysteriorum honorumque caelestium amorem et intelligentiam erigere possint.

#### Additiones.

**a.** — *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum*, etc. Non multum moratur Dominus uno in loco, sed continuo jubet vela venis dare et pergere in altum, condemnans eos qui, sine incumbunt mundanis et terrenis, ut toti ibi inherant. Plane licet bonis temporalibus uti, sed pertranseunt, nec in illis diutius immorari. *Psal.* ciii Regius Propheta inquit: *Hoc mare magnum et spatiosum manibus, illic reptilio, quorum non est numerus; animalia pusilla cum moignis; illic naves pertranseunt. Ecce felicitas navium praereptilibus, praere maris animalibus.* Et haec et illae in mari sunt, sed reptilia morantur ibi, nigroque incumbunt profundo; naves autem minime morantur, sed pertranseunt, et dum transeunt, maribus perfruntur, unde maxime illae commendantur. Ita ex omnibus commendabiles sunt, qui quidem fruuntur bonis mundanis, sed non penitus illis immergantur, sed qui illa pertranseunt, Deo eadem non anconepentes.

**b.** — Notanter imperat Dominus Simoni, navim in altum ducere, ut subdi et obedire sciat qui ad Ecclesiae eligebatur praefecturam. Quando melius imperare discis, quam ubi perfectum subditum agis? Quis aptior ad regni clavum, quam qui obedire et esse subditum scivit? Apud Joannem, v, 27, de Jesu dicitur: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Expende ob quam rationem Dominus accepit a Patre iudicariam potestatem, ob eam nimirum, quia Filius hominis erat. Et quidem Filius hominis citius praeseferebat formam servi quam domini. De illo item dicebatur, *Luc.*, ii, 51: *Et erat subditus illis*; eundemque ante videres, quod instar rei apud iudices erat, quam quod Iudex super reos. Cur ergo ad imperium, ad praefecturam eligitur, qui formam servi et subditi, imo et rei praeseferebat? Sane nullus melior praefectus quam subditus, qui bene obedire didicit. Obedientia enim nobilitatem quandam sibi annexam habet, Deusque in hac vita exaltat et glorificat eos, qui in hac virtute exacti sunt, quibus quandoque, ipsas etiam creaturas subiecit effluetque obedientes.

**c.** — D. Ambrosius, *Serm. xlii in Dom. V post Pent.*, dicit: « Ecclesia in altitudinem revocatur, » tanquam caelorum profunda Sacramenta discenda; « tiens; in illam scilicet altitudinem, de qua Apostolus stultus ait: *O altitudo divitiarum!* Propterea » dicitur Petro: *Duc in altum*, hoc est, in profundum disputationis divinae. » Magna certe et ingens est altitudo mysteriorum fidei et arcanorum sacrae Scripturae, quae in synagoga latebant; et ita Judaei appellabant Christum fabri filium. Petro autem ut gubernatori navis Ecclesiae Christi dicitur: *Duc in altum*, hoc est, ut cum divina illuminatione aperiat altitudinem mysteriorum fidei.

Unde quoque dicitur: *Non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Nam fidei nostrae veritas, testimonio divino, ex Prophetarum oraculis, ex conciliorum et sacrorum Doctorum, cum sacra Scriptura consonantia, clare deducitur.

S. Bonaventura, *Serm. ix in Heam.*, ex quatuor praecipue capitibus indubitatae catholice fidei firmitatem deducit, nimirum: « Ex testimonium » notitia certa, fama praecleara, concordia plena, » sententia firma; quia si sit notitia, certa autem » non sit fama bona, non credimus; si quando » bonus est homo, scitur quod veritatem dicit, et » si habet certam notitiam et famam claram. Sed » si multi sibi contradicunt, adhuc potest esse dubitatio. Si autem haec tria habeat, et notitiam et » famam, et concordiam, et tamen non habet sententiam firmam, dubitatio esse potest. » Haec autem omnia in probatione fidei nostrae concurrere evidenter probat; et primo quidem loco dicit: « Lex per Angelos ordinata, manu mediatoris. » Secunda certitudo fidei fuit « in mentibus prophetarum; » ceteraque auctoritatem S. Petri dicentis, *Epist.* II, 1, 19: *Habemus firmiorem prophetice sermonem.* » Tertia in mentibus Apostolicis, » quam probat per verba S. Joannis dicentis: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contractaverunt de Verbo vitae, et vidimus, et testamur, et annuntiamus.* I. *Joan.*, 1, 1. Qui idem Apostolus, in alio Evangelii sui loco testatur, dicens: *Qui vidit testimonium perhibuit.*

**d.** — Tota nocte laborantes Simon et socii ejus, nihil ceperant; venit autem Christus et jubet in altum ducere rete, et copiosam accipiunt piscium multitudinem. Quid non nisi synagogam significat, in qua per difficillimas leges, earumque observationes, continuo laborare cogebantur homines, et cum exiguo fructu? Venit autem Christus, imponens legem gratiae suaviorem, et copiosior et suavior fit animarum piscatio.

**e.** — *Laxate retia vestra in capturam.* Hic merito debet esse finis Praedicatorum, pisces Deo capere, cum nullus fastidendus sit labor, licet etiam ille pro una tantum anima fuerit impensus. S. Carolus in concione quadam quam, in synodo undecima, ad clerum habuit, hisce eundem verbis allocutus fuit: « O si videremus quid sit et faucibus inferni » animam unam liberare, non dubito profecto quin » hodie plurimi ad nos accederent, qui se oblatos » fieri postularent. Et non modo montes transirent, sed etiam apertissimis et maximis quibus » cumque vitae periculis, sese exponerent tibi spes » aliqua esset, vel unius etiam animae reciperande. » Verum quidem est quod sacrificia solidissima sint nostri erga Deum obsequii et religionis argumenta; verumtamen, ut S. Gregorius, conformiter ad traditam a S. Joanne Climaco sen-

tentiam, dicit: « Nullum omnipotenti Deo tale est » sacrificium, quale est zelus animarum. » Referunt Annales Ecclesiastici, quod S. Hilarius Pontifex quibusdam Episcopis qui pro dilatandis dioecesium sturum confiniis, magnificandisque fimbriis suis admodum solliciti erant, sanctissime et prudenter responderit, quod lucra quae supremum Pastor ab illorum sollicitudine deinceps requirit, solum istud esset quod in animabus ad Deum adducendis, consistit: « Expectatio fructus nostri ministerii, non » in latitudine regionum, sed in acquisitione pontificum animarum. » Sic quoque dum S. Vincentio Ferrerio una cum purpura cardinalitatis Archiepiscopatus Valentinus a summo Pontifice oblatu fuisset, is utrumque renuens respondit majorem se honorem aestimare, si animam aliquam ad peccata deserenda excitare posset, quam sit is qui ex omnibus quae a mundo praesentari possent dignitatibus ei obvenire posset. In Lectionibus S. Ignatii Loyolae fundatoris societatis Jesu legitur: « Indecus fessus lucrantis Deo animis instabat, auditus » aliquando dicere, si optio daretur, malle se beatitudinis incerte vivere et interim Deo inservire, » et proximorum saluti quam certum ejusdem » glorie statim mori. »

**f.** — Jubet divinus fidei nostrae plantator laxare retia in capturam piscium, scilicet hominum; multi enim laxant rigorem Scripturae, non in capturam, sed in deceptionem, vel si in capturam laxant retia, id est, explicant Scripturas, hoc faciunt, non in capturam piscium, id est, hominum, sed ranarum, id est, divitiarum, vel dignitatum, de quibus dicit Isaias, lxx, 5: *Telas araneae texerunt.* Unde Ecclesiastici quorum potissimum est officium verbo praedicationis, aliisque ministeriis sacerdotalibus laxare retia in capturam hominum, solum Deum praere oculis habere, neque divinum aliquod servitium ex motivo lucri temporalis persolvere debent. Jeremias Propheta, inter alias lamentationes, hanc, *cap. iv*, adducit: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii?* ubi per hos sanctuarii lapides, sicut per aurum, sacri altaris ministri sine dubio intelliguntur. Unde Glossa ait: « Hi Sacerdotes Christi et » ministri altaris sunt. » Sed cur hoc lapides dispersi dicit: *In capite omnium plutearum? Filii Sion inelyti et amici auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea?* Nimirum in capite plutearum, emitur, venditur, negotia tractantur, mundanisque homines continuo oberrant; ac proinde ecce tibi causam, cur Ecclesiastici bonum nomen amittant, alios scandalizant, et a sua vocatione deficiant, quia videlicet divino servitio minime intenti, sed potius in mundi hujus negotia et lucra ultra se ingerant. Unde S. Gregorius ait: « Aurum quippe obscuratum » est, quia Sacerdotum vita, quondam pro gloria » virtutum clara, nunc per actiones infimas, osten-